

**Monier, Jean-Joseph-Benoît -
candidat / Ferrand,
Jean-Baptiste-Guillaume - président. -
De labiorum cancro**

1782.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,
Cote : ms 2345, n°14***

DE LABIORUM CANCRO.
T H E S E S
 ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ;

QUAS, Deo juvante & Præside M. JOANNE-BAPTISTA-
 GUILLELMO FERRAND, Facultatis Artium & Chirurgiæ
 Magistro, antiquo Collegii Præsente, Regio Scholarum Pro-
 fessore, Regio Librorum Censore, Primario magni Nosocomii
 Parisiensis Chirurgo designato, Regiæ Chirurgiæ Academia
 Consiliario, antiquo Anatomæ & Chirurgiæ in Scholâ Prælicâ
 Professore, Imperialis Academia Florentinæ Socio extraneo,
 Regiæ Scientiarum, Humaniorum Litterarum & Artium Aca-
 demia Rothomagensis Socio, necnon saluberrimæ Facultatis
 Medicinæ in Universitate Remensi Doctore, tueri conabitur
 JOANNES-JOSEPHUS-BENEDICTUS MONIER, è loco Sainte
 Jalle Sisteronensis, præclaræ Artium Facultatis in almâ Uni-
 versitate Parisiensi Magister, Regiæ Galliarum Principis D.D.
 LUDOVICÆ in Monasterio San-Dionysiaci Carmelitæ Chirur-
 gus ordinarius, necnon primarii magni Nosocomii Parisiensis
 Chirurgi nuper præcipuus Adjutor.


Die Luna trigesimo mensis Septembris, anno R. S. H. 1782,
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

P A R I S I I S,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
 PRO ACTU PUBLICO
 E T
 SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
 Collegii necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXII.





D. O. M.

DE LABIORUM CANCRO.

T H E S E S
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

I.

VULTUS concinnâ & sublimi structurâ conspicuus, in quo
supremi Numinis sigillum elegantissimè appositum stupentes
miramur, almæ rerum Parentis Naturæ, miraculum arguit.
Verùm enim verò, quàm amico fœdere sociantur, arduæ frontis
dignitas, triste supercilium, genarum dulce decus, verecunda
oris venustas, oculorum blandè mi naciū flagrantia! Quàm benè

A ij

conveniunt, vultu animæ theatro sedentes, majestas & amor! Labra roseo colore nitentia, ad oris ornamentum, ad blandam faciei venustatem, lepores ac elegantiam purpureo splendore conferunt; vario musculorum motu, varios animi affectus nervosè exprimunt; ad manducandum, bibendum, sugendum, loquendum, miram præstant opem. Sed eheu! nunc atrâ malorum serie inhonestè deturpantur, nunc indecorè dilacerantur, nunc fatalia mortis semina in rosis sanitatis occultata non rarò maturant. Luctuosum istius veritatis testimonium, à *Cancro*, de quo, prælibatâ labrorum anatome, sumus dicturi, mutuamur.

I I.

Duo labra, musculis potissimùm corporata, spongioso quodam atque molliusculo texto, quod absque concursu actionis muscularis intumescit quandoquè atque detumescit, conflare videntur. Extùs tegumentis communibus, intùs membranâ oris, sub quâ breves ac exiles ductus, cryptæ aut glandulæ miliares & lenticulares sitæ sunt, obducuntur. Rubicundi labiorum margines, papillis nervosis longiusculis, sibi que invicem arctissimè agglutinatis, componi videntur. Labra epidermide spoliata, & aquâ aliquandiù macerata, copiosissimas nervorum propagines exhibent, hinc mira eorum sensibilitas; superius labrum sub septo nasi, inferius ad radices dentium incisorum, habenulâ quâdam, quam *frenulum* vocant, retinentur.

Varius est, juxta varios auctores, musculorum numerus. Litem dirimat lynceus anatomicus. Labra *orbicularis* constringit cujus fibræ quasi arciformes. Abducunt *Zygomaticus* & *Buccinator*, risores dicti; labra elevant vel *communes duo canini*, vel proprii *incisiorum* par; deprimunt tandem *triangularis* & *quadratus*. Alii longè plures describunt. Ad labiorum musculos, *pyramidales* nasi & *platysmamyoides* meritò referendi videntur.

Labiorum arteriæ, *coronariæ* dictæ, à carotide externâ proce-

dunt ; in jugularem externam venæ sese exonerant.

Nervi à maxillari tùm superiori, tùm inferiori & à portione durâ septimi paris originem mutantur.

I I I.

Cancrum enodare , accuratam ac numeris omnibus absolutam horrendi istius mali definitionem dare , res ardua. Allatas à turbâ auctorum definitiones brevitatis causâ ex consulto omitteutes, Schirrum & Cancrum, unum eundemque quasi morbum esse , cujus varia stadia , variæ conditiones, contendimus.

Diversâ sub specie , multiplici sub formâ, Cancer prodit. Nunc unicum existit, nunc plura sororiantur instar uva tubercula , dura, renitentia; sæpè dolorem affèrunt, quandoquè nullo, aut levissimo dolore stipantur.

Per non definitum temporis intervallum, quâcumque de causâ ingravescente morbo, crescit tumor, in apicem assurgit, discretis in loculis emollitur. Jam cuti non concolor, ater fit, subruber, lividus aut subviolaceus. Hinc & indè circumfusæ, varicosæ turgescunt venæ. In his rerum angustiis, velut agmine facto , sævissima ingruunt symptomata. Titillans, urens, lacerans, pungens vigilat dolor. Orti motu spontaneo collectitia ichoris putridi illuvies, cutem arrodit ac subindè, visu miserabile ! ulcus patet asperum, oris tumentibus, duris, inversis horridum; acre tabum eructans, irrepit latiusque grassatur, ac foetidissimâ, tenui, fuscâ, nigrâ, quam evomit, sanie, musculos, vasa, nervos, quodcumque aculeo putrido obvium, pessimè irritando, vorat. Æquis passibus lathifera contagio, rodentis veneni populabunda lues fecunda Cancrorum consequentium parens, chronici dolores, acutissima tormenta, febris cancrofa, &c. sequuntur, quæ ægros, nisi miserrimis illorum rebus succurratur, inimicos inter ignes & asperissimos cruciatus, conficiunt.

Hæc sunt præcipua Canceri, in *occultum* & in *ulceratum* vulgò bipartiti, phænomena, cujus sedes ferè propria, partes glandulosæ, molles & laxæ, cujus causa materialis, lymphæ,

I V.

È variarum causarum coitu Cancrum sobolescere, infausta nimis testatur experientia. Hæmorrhoides suppressæ, imminuta vel abolita menstruatio, atra cura ejusque pedisequi melancholici affectus, lymphæ degeneris ac solito crassioris consistentia, solidorum eretismus, vel irritatio à morfu, contusione, puncturâ, laniatu, ab inclementiâ frigoris, à temerariâ ac ineptâ causticorum aut medicamentorum pinguium applicatione, ab eluendæ fœditatis labiorum incuriâ, &c. pro causis tum internis, tum externis, promiscuè sumantur.

Fictitium virus ad fabulosam somniorum patriam relegandum, Cancro nascenti non præexistit, non est terribilissimus istius morbi causa. In ipsomet Canceri gremio, orto motu spontaneo, genitum, ipsiusmet tabis sobolem, istud, tanquam Cancrorum consequentium causam, solummodò reputandum censemus.

Cancrosi vitii causas altius indagari, de genuinâ ejus naturâ ac effectibus differere, extra pensî rationem positum. Qui plura de Cancro voluerit, adeat ille luculentam Dissertationem celeberrimi Doctoris *Peyrilhe*, hujusce Collegii Magistri, duplici laureâ ab Academiâ Scientiarum, Humaniorum Litterarum & Arrium Lugdunensi donatam anno 1773, illiusque jussu, publicè juris factam.

V.

Nascens labiorum Cancer, nunc verruculam mentiens, nunc corneam naturam ac formam induens, tuberculum durum, renitens, quandoquæ crustâ opertum, titillatione, uredine, aut mordaci vellicatu stipatum exhibet; quod si vetus & ulceratum, ex suprâ

allatâ descriptione diagnosis eruatur ; cave tamen ne allucineris ; tumores enim alterius generis , fucum quandoquâ faciunt.

VI.

Pessimî ominis malum tumor cancrusus ; attamen quò minor recentiorque morbus , eò tutius ac facilius curationem admittit. Rarò vetulus , latèque serpens , rariùs ulceratus , rarissimè ulceris degeneris soboles Cancer curationi cedit. Qui recens & qui à causis externis procedit , minùs importat periculi cæteris paribus , minùs contra artis aculeos recalcitrât , quàm cancer *per se* , seu à causis internis sponte suâ pullulans. Viri boni habitûs citiùs ac feliciùs quàm seniores , cachectici , &c. sanantur.

VII.

Ab omni ævo ad Cancrî eradicationem nihil non fuit excogitatum. Suppurantia , caustica , aliaque id genus toties non jejune decantata medicamenta , totidem sunt arma debellandæ hydræ imparia , quæ nedùm cancrusam molem consumant , aut penitus evellant , è contrâ res ægri in pejus præcipitant.

Idem esto iudicium de ferro ignito ; nisi tamen unâ eâdemque applicatione morbus evanescat. Sic pluriès fausto cum successu , verruculas , parva tubercula cancrusa summam labiorum membranulam lambentia , ferro candenti semel tantùm cautissimè apposito , & etiam aquâ mercuriali semel aut bis solummodò prudentissimè adhibitâ , consumpsimus. Si cancrusa moles latius aut profundius sit diffusa , ferri candentis vim eludendo , cineri doloso suppositus , ipsimet igni pertinax , ferocior ac truculentiùs sæviens Cancer renascetur. In tanto rerum discrimine , aut *blandire* , aut posito possibili , *seca*.

Si cancrusus tumor non latius grassatus , ferrum non respuat

ægri situ ad operationem accommodato , extentoque labio , ad sanum usque æquali tractu solerter secando , Cancrum scalpro abscindat Chirurgus , ita ut si superius (1) , litteræ græcæ Λ , si verò inferius , V figuram sectio referat. Cruentas vulneris oras , Chirurgi minister adducat , & exule acuum acicularumque vanâ supellectile , incarnanti fasciatione (2) , curatio absolvenda.

Apparatus postridiè , sequentibusque diebus eluatur ; solidorum eduliorum abstinentiam , quietem ac silentium Chirurgus imperet. Quinto sextove die , prudenti manu deligatio solvenda.

Tutissimâ ac lenissimâ hâc methodo , quæ nunc viger , & nobis pluriès prosperè successit , brevi coalescunt vulneris oræ , brevi juxta naturæ artisque vota , morbus tollitur , nec fœda remanet cicatrix.

Quandò Cancrî amplitudo adunationis spem ademit , neglecto curiosiori elegantiae studio , extirpationem (quoad fieri poterit) celebrandam esse , censemus.

Cùm eo miseriæ res processerunt , ut morbus ferro evelli nequeat , tunc fonticulis , sedantibus medicamentis , anodynis , vaporationibus antisepticis , regimine congruo , &c. Cancer mitigetur.

(1) Karissimè , si unquam : hoc nondum nobis observare contigit.

(2) Sumitur fascia tres circiter ulnas longa , in duo capita , cujus unum diffinditur , voluta , latitudine ad transversum digitum aut amplius pro re natâ , accedens. Fronti immediatè applicata , ad nucham pergit , ibique cruciatim disposita , versus nasum , cavendo ne lædantur aures , reducit. Ubi naribus respondet , spissis super genas spleniis propè aures appositis , duplici fissurâ tres circiter digitos longa scinditur fascia , ut capitis fissi extremitates , per duo hæc foramina trajectæ , genas adducere & coadunatas vulneris oras , sat firmiter stringere valeant. Tum sub utroque Zygomate , ad nucham redit fascia , ubi iterum formatâ cruce acubus fixâ , ad frontem pergens caput percurrit. Incarnans illa fasciatio , duobus firmatur linteis , quorum unum à fronte ad occiput , alterum verò ab aure dextrâ ad sinistram ducta , acubus vel filo fixa retinentur.

F I N I S.